



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Orare, Oratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Spicacior, sequenda potius ipsorum auctoritas, quam
 quorum. Resp. 2. Licere etiam aliquando sequi opinionem
 Scholasticorum, relicta opinione communi SS. Patrum.
 Resp. 3. etiam aliquando licere sequi opinionem Canon-
 starum, relicta opinione Theologorum, Bufæus.

Oratio, Orare.

Vide v. *Officium divinum.*

Qualibet natura rationalis orare potest, quia oratio
 quædam locutio seu petitio, qua cum subiectione petitur
 superiori quod desideratur; & defectu hujus subiectionis
 oratio activa nulli personæ divinæ convenit, quia Deus su-
 periores non agnoscit, à quo aliquid cum subiectione pe-
 tere possit: convenit tamen oratio Christo secundum hu-
 manam naturam considerato. Item convenit Angelis, qui
 sunt naturæ rationales superiores habentes; & Sanctis in
 cælo existentibus, qui non solum pro nobis, verum etiam
 pro se ipsis orare possunt, petendo ea quæ pertinent ad be-
 titudinem ipsorum accidentalem, ut revelationes aliquo-
 rum rerum quas ignorant, felicitatem suorum corporum,
 &c. Similiter viatoribus, utpote naturis rationalibus, con-
 veniens est oratio, etiam si peccatis obstricti sint: fieri enim
 potest ut media oratione exaudiantur & convertantur: &
 etiam animabus in Purgatorio existentibus, quæ non so-
 lum possunt orare pro se ipsis petendo ut ab igne liberentur,
 sed etiam pro viatoribus, quia in statu gratiæ existunt, &
 fieri potest ut intuitu petitionis ipsarum Deus viatoribus
 bona conferat: singuli fideles postquam ad rationis usum
 pervenerunt, tenentur ad orationem jure divino naturali
 & etiam ex præcepto religionis, aut aliarum virtutum, ali-
 quoties in vita, v. g. in articulo mortis, & quando tentatio-
 nes ingruunt cum periculo succumbendi *tom 1. De iis, quæ ad
 privatam Divinæ Officii recitationem pertinent, disp. 1. quæst. 1.
 punct. 1. num. 1. & seq.*

A D D I T I O.

Qui orat ex obligatione, tenetur attendere, alioquin non
 satisfacit Eum. *Oratio 1. Nav. cap. 25. num. 97. 105. 107. Vide
 Toll. 2. c. 13. num. 9.*

Non peccat, qui pro propria morte orat, aut pro aliena, vitandum peccatum. Collige ex iis, quæ docet Nav. c. 15. de aliena morte optanda.

Oratio peccatoris & temporalia impetrat, & dispositio ad gratiam, non tamen ex iustitia, sed ex pura Dei misericordia D. Thom. 2. 2. quest. 83. art. 16. Palud in 4. dist. 15. in cl. 4. Gabr. lect. 63. super Canones. Navar. de orat. cap. 20. num. 76.

Ordo.

Vide v. Clericus, Matrimonium, Sacramentum.

1. Ordo est sacramentum, quo specialis potestas traditur ad conficiendum corpus & sanguinem Christi. Ordines sunt septem: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. De Episcopatu, an sit ordo, gravis est difficultas inter Doctores; dicendum videtur non esse ordinem propriè distinctum à Sacerdotio; & hinc sequitur Episcopatum non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti: cum Episcopatus non sit ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum extendat & supponat. Similiter Archiepiscopatus & Papatu non sunt propriè ordines; neque prima tonsura, per illam enim non datur aliqua potestas specialis ad conficiendam Eucharistiam, sed est tantum dispositio ad ordines. tom. 1. de Sacramento Ordinis, d. sp. 8. quest. unico. punct. 1. num. 1. & seq.

2. Sacramentum ordinis fuit institutum in ultima cœna Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem ibid. n. 7.

3. Non solum ordo sacerdotalis, verum etiam alii singuli sunt sacramenta. Ita Trident. sess. 23. cap. 3. ibid. punct. 2. num. 2.

4. Materia remota sacramenti ordinis est res illa quæ traditur suscipienti ordines scilicet calix cum vino, & patena cum hostia: materia proxima est traditio materiæ remotæ. Validè tamen confertur ordo sacerdotalis, si ex oblivione tradatur vas cum una tantum specie.